

Mons. Paschl. H. H. H. / Saale

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI;
DN. DAN. LVDOLPHI;
LIB. BAR. de DANCKELMANN;
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

H

566
Ib. 6

1. Wircher, Balthas. *Erraticus vox cineribus Cyriae Herdesiani.*
- 2^a Schrader, Chph. *Oratio memoriae Georgii Calanti habita.*
- 2^b " " " " *in obitum Conr. Hornjei habita.*
3. Schneider, Mich. " " " *Jo. Gerhardi* "
4. Pastorius, Joach. *Joanni Casimiro, . . . regi Poloniae et triumphales laureas faccep.
in Prussiam suam inferenti felicem Ingressum gratulatur.*
5. Schuppins, Joh. Baldd. *Diss. praeliminaris de opinione.*
6. Wendelin, Marc. Frd. *Panegyricus parentalis Christiano sen. principi Anhaltino
et. dictus a —.*
7. Heider, Wolffg. *Oratio parentalis de vita et morte Christiani I. electoris, ducis Saxon.*
8. Pianer, Anr. " *De intestinis ecclesiae Christianae dissidiis.*
9. Dresser, Matth. " *De curriculo vitae Jo. Cratonis à Crastheim. Item meletomata
quaedam Joann. Crat. plena fide et consolatione.*
10. Sectus, Jac. " *De . . . principis Friderici Mauricii Anhaltini vita et obitu.*
11. Jessenius, Jo., à Jessen. *De vita et morte Lychonis Braheii oratio funebris*
12. Flurcius, Chph. *Oratio de Sigismundo Augusto, duce Megalopolitano. 5. Apr. t.*
13. Ludovicus X IV, *Epistola regis Galliarum — ad ordines imperii, cum libello ejusd.
regis plenipotentiarum Roberti de Gravell, ordinum legatis ad
comitia oblato pro obtinenda exemptione vel concessione eorum,
quae ipsi tractatu Aquisgranensi e circulo Burgundico cesserunt.
Ius juncta est epistola ad amicum hanc materiam exactius tractans.*
14. Senatoris Regni Sueriae, Literae — um ad senatores regni Poloniae super missionem
Morstenii internuncii Polonici.
15. Schrader, Chph. *Oratio ad ducem Brunsvicensium et Luneburgensium legator academiae
Juliae visitatione strenue et feliciter perfunctos.*
16. Morhof, Dan. Ge. *Oratio de intemperantia in studiis et eruditorum quae ex ea
oriuntur morbis.*
17. Schrader, Chph. *Oratio habita cum aca d. Juliae magistratum adirot propriid.
Id. Januar. 1658.*
18. Schrader, Chph. *Oratio ad ducem Brunsvic. et Luneburg. legator visendae ordinandae
que aca d. Juliae tertium missos.*
19. Zawadzki, Casim. *Gloria orbi Sarmatico. et Mich. Korybut, regi Poloniarum etc., cum
prima imperii spatia feliciter ingressus fuisset.*

V. S.

20. Boecler Jo. Hnr. Elogium Chph. Forstneri.
21. Freinshemius, Abrah. Laudatio posthuma Jo. Freinshemii.
22. Maresius, Sam. Brevis discursus de revolutionibus hujus anni
[1672] ac nominatim de feliciter soluto Groningae
obsidio.
23. Status, fatalis Hungariae →, lapidi inscriptus loco Statuae
erecto sub figura crucis in coemiterio Orientalis 1670.

III. 3

ORATIO

In obitum prematurum

JOHANNIS GERHARDI,

Theologi Summi & Incomparabilis, atq̄s
de univerſa, adeò Chriſti Eccleſia benè meri-
tiſſimi Doctoris,

Publicè recitata

In celeberrima Academia Wittenbergenſi

M. MICHAELE SCHNEIDERO,

Collegij Philoſoph. Adjuncto,

WITTENBERGÆ

Ex Officina Typogr. JOHANNIS RÖHNERI,
ANNO MDC XXXVII.



ORATIO

In obitu Praesidentis

JOHANNIS GERHARDI

Theologi Summi & Incomparabilis ac
de universis adeo Civili Ecclesiae Praesidentis
Hujusmodi Praesidis

Praesidis

In celeberrimo Academiae Wittenbergensis

M. MICHAELIS SCHNIDERER

Collig. Philologiae

WITTENBERGAE

Excusit Typogr. JOHANNIS RÖNNERI
ANNO MDCCXXVII





RECTOR

ACADEMIÆ WITTEBERGENSIS

HENNINGUS *Grosse*

U. J. D. & Professor Publicus &c.

CIVIBUS ACADEMICIS S. D.

Nemo quidem satis aut deplora-
re obitum maximi & incomparabilis illius
Theologi JOHANNIS GERHARDI, Pro-
fess. in illustri Salanâ celeberrimi, aut decan-
tare laudes ejus, ac digna oratione transfer-
re ad posterum unquam potest. Ea enim excellentia ingenij ac
bonitate nature fuit, eâ inusitata doctrina ac eruditione; eâ
virtute deniq. & sanctitate morum, ut qui consideret singula,
haud difficulter fateatur, transcendere longe humana condi-
tionis modum, & quoddam divinum atq. cœleste in ijs spirare,
quod admirari facilius, quam dicendo exprimere liceat. Unde
consequitur etiam, tanto acerbiores hunc casum fieri, & supra
omnes lacrimas positum, quantum diviniora fuerunt, que in
maximo viro intercepta ademptaq. nobis lugemus ac deplora-
mus. Quicquid tamen sit, laudandum omnino ac predicandum
Egregij ac Præstantissimi Viri M. MICHAELIS SCHNEL-
DERI Collegij Philosophici Adjuncti, institutum est; qui prin-
cipis Theologorum vitam mortemq. castino mane oratione
Latinâ persecutus est. Neq. enim unquam non laudi fuit,
A 2
præcla-

proclara suscipere: nec tantum secuta gloria est, qui effecerunt
patruruntq; magnifica; verum & qui conati saltem molitig;
fuerint. Nam quod sapientes monent, non ex operibus semper
viros bonos, sed verò ex voluntate precipue iudicare oportet.
Ibi enim aliquam partem fortuna quoq; sibi vindicat: hic sola
restitudo animi commendatur. Ac si GERHARDUS non tam
Fenam suam, quam universum orbem Christianum erudijt
atq; instituit, non in Thuringia tantum atq; ad Salam, sed in
Saxonia quoq; & Witteberge laudandus etiam legendusq; est,
nec angustioribus terminis iustorum circumscribendus honor,
quam merita ejus pertinent, quibus jam olim universam Ec-
clesiam, quocumq; patet, obligavit sibi mirifice atq; devinxit.
SCHNEIDERUM autem nostrum privatae etiam compulere
caussa, cur pius esse hac ratione in virum maximum vellet.
Enim verò sedit ille haud tantum, tanquam discipulus, ad pe-
des praeceptoris unici, cum publice juvenutem informaret;
sed in ipsius domo etiam, imò Musco ipso vixit, ut unus ex na-
tis in interiorem complexum viri admissus. Quare sicuti filio-
rum olim precipue ista fuerunt partes, ut laudarent parentes
defunctos; sic committendum sibi minime putavit, ut patere-
tur provinciam hanc alienos invadere, qua jure quodam sibi
deberetur. Qua sit ingenij praestantia, qua eruditione & lite-
ris SCHNEIDERUS, luculentissimis experimentis vobis jam-
dudum constat. Quare cum & hic nihil protritum atq; vul-
gare expectandum vobis sit; non certe ludetis operam, quam
auscultanda ejus orationi, quam ad d. crastinum, si dederit De-
us, H. IX. in Acroaterio majore recitare constituit, impendere
volueritis. Cui licet haec omnia, quibus duci precipue & de-
lectari animi solent, desint maxime (cum adsint abunde) ma-
teria tamen & argumentum obtinebis facile, ut quam fre-
quentissime conveniendum vobis existinetis.

ut re-

ut rediret in vitam GERHARDUS, & huc venturus exspe-
 ctaretur, quotusquisq; vestrum desideret domi, & non prodi-
 ret illico concurreretq; in eas partes, quâ transiturus ipse esset;
 saltem ut os ac vultum viri, & reliquam corporis faciem ha-
 bitumq; intueretur? Nunc autem cum non externa species
 tantum, & quod oculorum sensum vix exit, representanda vo-
 bis sit, sed ipsa mentis forma etiam, que admiratione precipue
 digna, in inuistatis animi dotibus virtutibusq; spectanda co-
 ram, & universa vita aded, privata iuxta & publica, contem-
 planda exhibebitur, quanto majore studio vos confluros
 persuasum nobis esse potest? Ingens sane, atq; irreparabile da-
 num est, quod in amissione maximi atq; tam necessarij viri,
 non tam Jenerensis Academia, quam tota Christiana Respubli-
 ca fecit perpeffag; est. Hoc itaq; quam quisq; sentit ac dolet,
 tam promte quog; nunc aderit, & hos supremos honores com-
 muni Magistri manibus solvet. Quod restat, Deum roga-
 mus & obsecramus, ut ipse nutantes labantesq; & patrie juxta
 atq; Ecclesie res fulcire ac stabilire benigne velit, cum, quibus
 innixa fuerunt columnis hæctenus, subratas maximam par-
 tem, atq; prostratas videamus. P. P. DOMINICA XIX.

post TRINITATIS Anno recuperata gratie
 CL. Io. CXXXVII.



A 3 RE.

RECTOR MAGNIFICE,

Plurimum Reverendi, Amplissimi, Excellentissimi, Consultissimi, Clarissimi, Viri, Patres Academia conscripti, Praeceptores, Promotores atq; Patroni summè venerandi, Tug. residua & unica Patria concussa spes, Nobilissima atq; ornatissima Juventus.



Hoc unum scilicet restabat ad consummatam Reip. literariae infelicitatem, ut post tot patriae ruinas tristissimas bustaq; febilia & hunc communē temporum marorem, qui nos lentā veluti tabe conficit universos propemodum, Ille, qui ex eruditi orbis consensu sapientiae caelestis principatum tenuisset hactenus, atq; divinarum literarum studia evexisset in augustissimum culmen, praematurō obitu mortalitatem expleret Ecclesiaeq; afflictissimae subduceretur. Quem licet disertè haud nominem, quotus quisque tamen in hoc doctissimorum hominum catu invenendus est, qui non illicō secum magnum illum JOHANNEM GERHARDUM cogitet ac animo volvat? Cujus nunquam tantum esse potest desiderium, quanta eruditio fuit atque virtus, ob quam pariter & praeclearissima illa merita, quibus posteritatem omnem, si qua futura est, sibi devinxit arctissimè obligavitque, vel annos Nestores, uti Poetae loqui solent, & integra secula vivere dignus videbatur. Nunc eheu defunctus mortalibusq; exemptus non unā nobis reliquit causam, cur lamentationem accendamus & plan-

planctum, atq; in tali & tanto funere affectum nostrum
publico Ecclesiæ dolori atque miseriæ attemperemus.
Enimverò non unum aliquem ex Doctorum amissum
vulgo, sed Theologorum Principem, diviniq; sapientiæ, ut
ita loquar, Monarcham, atque ut breviter, quod res est di-
cam, Archi Theologum, quò nomine eum in literis com-
pellare subinde solebat Theologus Magnificus ac Eminen-
tissimus Dn. D. Matthias Hoe ab Hoeneck Patro-
nus meus summoperè semper venerandus. Hinc non
inmeritò lugent Serenissimi Saxoniam Principes &c. Theo-
logum incomparabilem, Academia Jenensis Patres col-
legam conjunctissimum, viduarum mæstissima maritum
desideratissimum, liberi orbi parentem charissimum,
venerabilium literarum cultores Præceptorem fidelissi-
mum, omnis adeò publica literarum res, vindicem maxi-
mum. Et sanè quis obdurerit ita ad omnem Naturæ
sensum, itaq; hominem ex homine tulerit, ut non in lacri-
mas eat & in gemitus effundat se prorsus, in tanta dulcissi-
mæ patriæ clade penuriæq; virorum præstantium doctrinæ.
Nec situr nobis ob infinita scelera, à vindice fato infinita,
quædam malorum catena, succedunt clades cladibus; ut ni-
hil propemodum restet amplius quod calamitosos magis
efficiat; atque omnes adeo ad ultimam patientiæ lineam re-
digamur. Extincta solis ruinas incendia, vastitas ac soli-
tudo omnibus inducta locis; cœdes, rapinæ, læniæ, stu-
pra, & faciendi quicquid non lisset, liberrima licentia, ea
mala sunt, quæ in nostram hætenus Saxoniam inundarunt
ita, ut hæc præ cæteris regionibus, quas bellorum pestis in-
fedit, sibi quoddam veluti miseriarum privilegium vindic-
care possit. Omnium ætatum crimina simul atq; suppli-
cia in hæc tempora confluerunt. Ac ut majorum virtus

missi

nihil

nihil timuit ultra, quàm ne rueret cœlum; ita præsentis impietas avi nihil horret amplius, quàm hiatus terræ, oneris sui improbitatem ferre recusantis. Falsi sunt quotquot adhuc ferreo seculo vivere nos putant. Quippè dudū illud absumsit rubigo. Quare perfregimus ferrum & nunc habitamus in luto. Ad Belli mala accedunt nobis maximorum virorum obitus, qui nunquam sinistro omine carent, sed triste semper atq; metuendum aliquid portentunt. Caterū quanquam graviora deprecamur omnes jure merito, vobis tamen, Auditores, facilius est mentis cogitatione præcipere, quàm mihi exponere prolixè, quid inde verendum nobis sit, postquam Trostios, Pelshoferos, Sennertos, Schmidios atq; Gerhardos amisimus, sancta illa & clarissima nomina in tota Europa. Quis contra oblectantem denuò nobis Barbariem ruebatur imposteorum literarum decus & majestatem? Quis medicinam faciet morbis, & imprimis salutare Dei verbum, preciosissimum illud animarum pharmacum contra pestiferum hæreticorum afflatum sartum rectum præstabit? Quod si pauci illi sapientiæ antistites, quos velut in solatium nobis adhuc indulget providum Numen, abibunt etiam in communem locum, jam de literis actum est & conclamaturlanè, & omne Musarum nomen invidiae flammis obrutum conflagravit. Sed ferenda est hæc sine murmure, necessitas, nec oblectandum fato, quocunq; id etiam trahat. Quin potius hunc divinæ potentiæ habere nos deceat honorem, in eo uti quisque acquiescat, quod de se cunq; statuit Deus, atq; subinde adeò reflectat oculos ad principem causam unde omnia manant. Minimè certè desperare nobis licet in hoc cum Barbarie temporum conflictu. Tantum composito atque magno animo opus est, & ed quidem

quidem majori, quò præsentiora pericula nos circumstant,
Quippe eò deventum, pro dolor, ut vel eruditio & virtus,
tanquam clypeus, projicienda, vel strenuè & masculè pro-
iis pugnandum sit. Illud imprimis agendum nobis venit
cum cura, ut in publicis locis magnorum virorum cele-
brentur laudes, & quicquid in illis eminuit virtutum, ac
plebejam communemq; sortem transgressum est longè,
orationis perennitate ad seros nepotes propagetur. Ac de
Sennerto & Schmidio brevi audietur ex hoc ipso loco vox,
meritissimis defunctorum laudibus impendenda. A me ve-
rò ut Gerharδο illud verborum officium, quod unum hinc
sublatis exhiberi potest, præstem in præsens, devotio pietatis
mea postulat & flagitat omnino. Quamvis enim à ju-
dicij nostri prærogativa non pendeant consummatissimi
Theologi laudes, neq; balbutientis etiam lingua subsidio
opus habeat, qui amplissimum eruditioni sua, theatrum-
jam dudum extruxit, & præterea ipse felicitatis aeternae
compos res humanas omnes divinà generositate despectet,
atque hoc apparatus adeò alieni choragium dedignetur,
non committam tamen, uti vox ista desit extincto, cui vi-
venti ad omnia humanitatis officia obligabar. Quod itaq;
cathedram hanc conscendi, in tantorum virorum confes-
su verba facere ausus, non dabitis id Auditores ostentatio-
ni; sed pietati in benè meritissimum Praeceptorem, & ad
Patris instar amatum semper ac honoratum. Equum si-
quidem est & justum, animum erga præclarè de se meritos
memorem gratumq; modis omnibus declarasse, eorumq;
virtutes non præsentem solum, & in quotidiana conversa-
tione oculis observantes, verùm etiam è conspectu abla-
tas coluisse. Dabitur hoc aliorum monitis & expectatio-
ni, quam fallere mihi religio fuit. Namq; non planè nul-

B

li fue-

li fuerunt, qui ad hoc pietatis officium, celeberrimo Do-
ctorum exhibendum me provocarunt. In rei fidem lite-
ras produco à Viro Clarissimo Dn. M. Johanne-Michaele
Dillhetto, Professore in Acad. Jenensi publico, atq; Philo-
logo non vulgari, meoq; Fautore singulari, ad me percri-
ptas nuper atq; ita aliqua sui parte conceptas: Sed quid
“ vos Wittenbergæ siletis? Nonne maximum Virorum,
“ Gerhardum nostrum tam properè discedentem, deplora-
“ bitis? Eritu quamdiu conticefcis? qui pars non mensa so-
“ lum & musei, sed vel maximè pectoris divinisimi fuisti.
“ Ego nudis tertius, jussu Academia in magna concione &
“ planctu maximo sanctissimis manibus justa per solvi. Hæc
“ ille. Dabitis deniq; vestris ipsorum moribus benignis, qui
aliàs non semel juvenibus ex hac cathedra locutis patulas
aures præbuitis, ut aliquid de illius viri laudibus mihi ex-
ponere liceat, quem viventem vos, prout decet etiam, ma-
gnificastis & tanquam cœlo demissum hominem venera-
ri estis. Major equidem lugentis Ecclesiæ interpret vo-
biscum agere debebat. Quæ enim in me ingenij vis est?
quæ eloquentia in me balbutiente? qui summi Viri res
præclare gestas in me suscipiam enarrandas, qui veluti co-
ram Musis omnibus, in pulla veste assidentibus, & vindi-
cæ suo dignum quid expectantibus, os aperire audeam?
Edixit sanè Alexander, terrarum ille domitor invictus, ne
quis ipsum aliàs quàm Apelles pingeret, quàm Pyrgoteles
sculperet, quàm Lysippus ex ære duceret. Cur non &
Theologorum Monarcha à nemine præterquam à Demo-
sthene vel Cicerone aliquo fulminante cupiat laudari?
Quod si omninò pictorem imitari animo sedisset, satius
erat compendiosum Timanthis artificium sequi, atq; in-
explicabiles Gerhardi virtutes sacri silentij sipario velare,
quàm

¶ d. 19. Se-
ptembr.

Plin. l. 7. c.
37. & Cicer.
lib. 1. Epist.
12.

quàm easdem inconcinnò verborum nexu deformare.
Sed ignoscite ó beatissimi Gerhardiani manes, mihi à fa-
cundia Demosthenica vel Tulliana imparato profusus, &
nihilominus tamen hoc opus aggredienti, atq; dissimula-
tò incomtò sermone, pietatem boni consulite meam quæ
una mihi, quam polliceri habeam, superest. Et Vos AU-
DITORES, omnium ordinum honoratissimi, quibus pro
affectu, erga Magnum Gerhardum, præsentia hac honori-
ficentissimâ comprobato, gratias ago officiosas, debitâ
animi submissione rogo, ut ex veteri formula linguis ac
animis faveatis. Quod si expectationi vestra non respon-
dero & fecero satis, tantum saltem veniæ mihi nunc largia-
mini, quantum & iusto dolori & pio affectui dandum pu-
tatis.

Sed quid potissimum faciam, quidq; primò ultimo-
ve locò mihi commemorandum sumam, æstimatio an-
ceps atque instabilis est. Adeò vastus & latus hic nobis
se pandit campus, ut si vela danda essent orationi, verba
facilius quàm finem & exitum invenirem. Verùm quem-
admodum illi, qui ex floribus hinc inde lectis terra con-
cinnant, non totum suis copijs spoliant campum, sed ex
illo ea tantum, quæ contexendæ corollæ sufficere videntur,
reliquis omisis, decerpunt, ut alij quoq; materiam,
inveniant similis laboris: Ita & ego in præsentia seligam
ea, quæ mihi putabo commodissima esse; reliqua, infinita
prope, tractanda alijs relinquam. Prius autem Vobis AU-
DITORES, Gerhardum infantem ac puerum, quàm Vi-
rum & Senem exhibebo conspiciendum, ut cum ætate,
per suos gradus evehctâ, filium quoq; sermonis nostri pro-
cedat. Editus itaq; in lucem est Quedlinburgi, inferioris
Saxonie antiquâ & satis celebri urbe, præterq; alias dores

bonis ingeniis quoq̄, haud destituta, sed nostro imprimis
nobilitatâ, annô supra millesimum Quingentesimô octu-
agesimo secundo d. XVII. Octobris intra horas VI. & VII.
vespertinas, quô ipsô anno & mensè à Gregorio XIII. Ca-
lendarij mutatio in Ecclesiam introducta fuit. Patre ge-
nitus est BARTHOLOMÆO, Senatorij ordinis, & patri-
tiô Viro, Amplissimi Consultissimiq̄; Viri Dn. Andrea Ger-
hardi, illustri secularis Abbatia Quedlinburgensis Consi-
liarij meritissimi, filio, qui ob liberalem erga Ecclesiarum
& Scholarum ministros beneficentiam etiam nunc bene
audit, licet jam olim atque ante hos octo & triginta annos
admodum è viventium conspectu in alteram & veram vi-
tam sublatus sit. Matrem verò nactus est absoluti exempli
foeminam, & præstantissimam, dum viveret, matronam,
Margaretam Berndes, viroium prudentiâ morumq̄; gra-
vitate celebratorum Dn. Johannis Berndes, Reipubl. Hal-
berstadiensis Scabini, & Dn. Gasparis Breitssprachen? Ejus-
dem Reipubl. Consulis filiam ac neptin, quæ annô mille-
simo sexcentesimo vigesimo quarto d. XXVII. Januarij
charissimum filium præcessit, & in vivis desit esse. In cu-
jus visceribus cum jam conceptus Noster detineretur ad-
huc, & ad vivendi patientiam instrueretur, præsentissimo
periculo expositus fuit. Quippe pater justâ indignatione
incitatus accensusq̄; in servum bibacem & temulentum,
magni ponderis fultem destinaturus, matris prægnantis,
quæ ex improvise intervenerat, uterum tam vehementer
percussit, ut ex infelici hoc casu omnia parentibus vota
de sperata sobole exciderent ferme. Verum qui sancti ge-
nij sub ipsum vitæ exordium pro hominum salute in ex-
cubiis stant, caventes cum cura, ne qua externa vis tenel-
lis membris inferat cladem, iidem tum etiam Gerhardam
tuebantur.

tuebantur, jussuq; Numinis supremi hoc admiranda custodia documento demonstrarunt postea, quantum ille, Virum Ecclesiae daturus esset, utpote quem, nondum in lucem emissum, tam singulariter paterna Dei manus protexisset. Enixa enim quamvis haud defunctorie laesa mater filium, eumq; salvum ac integrum, ut ne indicium ullum ictus, quod fieri solet, exstaret. quod uti miraculo carere non videbatur, ita omnium, qui circa erant, gratulatione ac plausu exceptum merito fuit. Nos quoque eandem ob causam id praterendum silentio minime existimavimus. Si tamen nonnemini non usque adeo necessaria haec, aut longè petita videantur, age ad ipsum Gerhardum revertamur denuò, & quid sit potius, quam quomodo natus, consideremus. Prodit se ingeniorum qualitas in ipsa infantia, primaq; adeò & innocenti annorum libertate. Hunc ad vilia artificia indoles ignobilis atq; depressa ducit; aliis potior est militaris disciplina; non paucos verò ingenij vigor arcanus Musis & pietati dicatos, maturè ostendit. Ad eundem modum Noster vivida mentis lætitià, aliisq; præclari ingenij argumentis, omnibus, in quos infans incidit atq; puer, spem fecit prolixam, fore, ut splendidam majorum virtutem ipse celebraret nobiliori fama, & in illustre exemplum constitueret seræ posteritati. Itaque uti per se, quæ rectè nata sunt, arborum plantæ, distortæq; minùs, facilè sequuntur ducentis agricola manus, nec ab impresso semel habitu deslectunt: Ita & divinus Gerhardi animus informationem domesticam & justam studiorum culturam non modò admisit libentè, sed ad eam se quoq; applicuit sponte; ita, ut maturè Musis pietatiq; consecratus, eadem in Scholis reverentià suos veneraretur Præceptores, quà domi suspiciebat parentes,

B 3

& mo-

& morum sanctissimis præceptis, & inculpatæ vitæ omniumque virtutum ad eorum exemplis, filio tenerissimo præeuntes. Ac in literis quidem eò feliciores progressus fecit, quod prima illarum rudimenta in patria schola, sub optimis Magistris, fingendaque; juventutis artificibus peritis poneret, viris nempe eruditione clarissimis M. Henrico Fabro Rectore & M. Henrico Abstorffio Conrectore. Horum disciplinæ commissus effulsissimò studio omnem doctrinam consecutus est, quæ Academiis præparari animi solent, & ad eò feliciter sanè & largitèr in ista ætate ex reconditis atque abditis literarum fontibus hausit, ut, quibus imbueretur tum à Præceptoribus, ea non primitus cognoscere, sed ex Platonis scito reminisci potius videretur. Quò nomine etiam ex herbescente illa segete jam tum certissimam omnes conjecturam capiebant futuræ messis. Decimum sextum ætatis annum ingressus in Scholam Halberstadiensem, cui tum Rector præerat Vir multi nominis M. Paulus Dolschius, ablegatus est, cui præclaram indolem suam in primo statim congressu probavit abunde atque conspectam dedit. Neque enim commendatijs opus habebat Noster, quem tum etiam dotes atque virtutes admiranda omnibus bonis & doctis de meliori, quod dici solet, nota commendabant. Enimverò cum in patria Historiam Evangelicam, carmine Latino, eleganti illo satis ac terse descripsisset, postea Halberstadij, jam majora minatus, Græcis versibus Salvatoris sui unice ac erbissimam mortem pariter atque gloriosissimam resurrectionem complexus esset, satis demonstravit quam excellenti esset ingenio, eamque ob rem mirificè sermone omnium & laude celebratus est. Post exactum in Schola semestrem circa B. Martini festum, in hanc nostram Academiam se contulit, vix octodecim natus

natus annos. Ibi verò egregia Gerhardi Nostri virtus idoneum & augustum nacta theatrum cepit agere partes suas pro dignitate. Magnæ expectationis & ad summa natus adolescens ingenij adhuc latentem & sopitam quasi vim excitaturus, per omnes liberales artes & disciplinas generosò animi impetu grassabatur, & quodcunq; vel subtiliter disputarunt Philosophi, aut Mathematici demonstrarunt ingeniosè, aut jucundè narrarunt Historici, aut Oratores graviter disseruere, Poetæ denique suavissimè cecinerunt, hoc omne evolvendum sibi, quin imò devorandum existimabat. Agebat illum sanctior quidam ardor, provehebaturque ulterius longè, quàm ut vota sua angustis desideriis sineret includi. Quippè arbitrabatur, quod res est, sibi & alijs benè natis atq; sublimioribus animis nonnihil altius enitendum esse, quàm ubi hæere solet ingeniorum vulgus. Collegiis privatis publicisq; lectionibus simul in celeberrimum hoc Musarum domicilium intulit pedes; interfuit frequens, & operam strenuam impendit. In Rhetoricis audijt privatim M. Martinum Helvigium, in Logicis M. Johannem Sommerum, in Ethicis D. Wolfgangum Frantziuum, in Mathematicis M. Erasmus Schmidium, in Physicis M. Johannem Mehlfurerrum; in Anthropologicis D. Jacobum Cocum: publicè in Historicis jam laudatum D. Wolfgangum Frantziuum, in Logicis & Ethicis verò M. Antonium Evonymum. Studio cum primis Physico operam non pœnitendam seposuit atq; in Collegio quodam sub D. Tobia Tandleri Præsidio respondentis vices sustinuit cum laude. Ad Theologorum quoq; pedes exeunte annò millesimo sexcentesimo sedere incepit, ubi D. Gesneri Huteriq; prælectionum indefessum se præbuit auditorem. Tùm temporis enim æterna,
illa

illa Theologiae lumina Academiam nostram illustrabant.

Animal per se superbissimum est juvenis, quod si aliqua scientiae opinio eum afflet, jam omnes infra se despiciat, velut ex altiori scena, & difficile admodum est ventos illi revellere de pulmone. Videas multos infelici persuasione inflatos incessu adeo composito circumire, uti malint à malo quodam genio turbari Rempubl. quam fisti vestigiolorum mensuram. At Noster longissimè à se eumorem istum sprevit, & quibus omnium virtutum & eruditionis antecessit choragio, iis pro modestia insigni ultrò submisit fascies, ab illis alienus pariter, qui hodiè, ut perversa vivendi ratio est, morum larvâ seculi licentiam velant. Nihil certe in tam divino ingenio mutavit vira Academica, liberior illa & magis plena sui. Antiquum Noster obtinuit semper, & impigèrè semel captam studiorum pertexit telam. Anno deinceps insequenti millesimò sexcentesimo primò, autore & suatore Virò Magnifico & Amplissimo Dn. Andrea Raucharo, non obscuri nominis Jcto, hereditario in Hemsendorff/ nec non Vice-Cancellariò Dresdensi, amicitio suo, consentientibus cognatis ad studium Medicum se totum applicuit, inq; illud omnes ingenij atq; industriae nervos sedulo convertit, usus institutione publicâ Professorum celeberrimorum D. Johannis Jessenij à Jessen, D. Andreae Scatonis & Ernesti Hettenbachij. Privatim verò se erudiendum permisit M. Gregorio Horstio post Doctori & Professori Giesfensi, & tandem poliatro Ulmenis primario, cui Hagogen Medicinae proponenti, ut & commilitonibus nonnullis in Collegio Medico disputatorio, ab ipsis privatos inter parietes instituto dexteritatem ratam & industriam inusitatam probavit. Beatos aegrotos, si perrexisset

perrexisset Noster atq; summos in Medicina impetrasset honores! Quantà promittuntur superias decumbentibus tulisset! Quantà subtilitate morborum impetum leniisset conquississetq; praesidia tuenda vitæ! Jam pollicem tentasset, oculorumq; notasset instabilem, nec sibi benè constantem motum, spirandiq; mensuram. Nunc in vultus labellorumq; colorem intuitus observasset sedulo, num sudor in frigida fronte, aut ominosus in arteria diffensus? Sed ex factorum consilio non corpori sed animabus medicinam facere debebas Gerharde, planè ut votum feceras adolescens quindecennis, cum gravissimis tentationibus & morbo conflictarere. Hoc urebat anxiam mentem & in partes traherebatur quasi. Hoc Te quiescere & capere somnum, sicut Themistoclem illa trophæa Miltiadis, nunquam sinebant. Itaq; postquam annò millesimo sexcentesimo secundo à JCo nominatissimo & supra laudato amittino suo Rauchbaro sub Paschale tempus Hemsendorffium in praedium ejus vocatus, liberisq; informandis praefectus artem Medicam cepisset exercere, anno subsequenti cum filio primogenito Rauchbari Jenam, amœnissimam illam & celeberrimam Musarum sedem profectus, in Magnifici & Consultissimi Viri D. Johannis Stromeri Senioris, Juris Antecessoris gravissimi, Juridicæq; Facultatis Ordinarij ædes atq; convictum receptus est. Cæterum quanquam ita corpore Witebergam, studiorum suorum matrem reliquerat, animo tamen ipsius imaginem excussit nunquam, sed ejus Professores veneratus est semper, & cum multis, Balduino cum primis & Meisnero b. m. amicitiam sanctissimè coluit, nostramq; adeo Academiam pro Sione Evangelicam habuit perpetuò, quod cum neminem lateat, hic fusè persequi supervacuum fuerit. Jena voti sui pro-

C

bè

aitor

bè memor Gerhardus, sacrosanctæ Theologiæ, ex cuius
amplexibus divulgus fuerat, se mancipaturus prorsus, à ce-
lebrum tum temporis Doctorum Mylij Reudentiiq; pe-
pendit ore, simulq; Ebræas D. Petri Piscatoris Scholas fre-
quentavit, ratus quod res est, infelices eos esse, quos solis
versionibus contentos esse jubet linguarum Cardinalium
ignorantia, quiq; cum Deo per interpretem agere, & cum
pullatâ plebe in atrio è longinquo stare & sacra intueri co-
guntur, cæteris linguarum peritis, veluti omnium myste-
riorum arbitris atq; testibus in ipsâ penetralia admisis.
Nec ipse contentus fuit ex limpidis Israelis fontibus bibi-
se; alios etiam Theologiæ studiosos, quos in museo suo
aluit quàm plurimos, idem ut facerent, seriò adhortatus
est. Glasius certè qui tam nobile Philologiæ sacræ opus
in divinæ literaturæ candidatorum gratiam publicè fecit
juris, ipsi in solidum refert acceptum, quicquid in isto stu-
diorum genere tentavit unquam. Ipse Gamaleel quondam
meus non semel fassus est, se, cum Harmoniam continua-
ret Evangelicam, non parùm à Glasio linguarum peritissi-
mo Viro adjutum fuisse in inquirendis etymis Syriacæ
linguæ. Scilicet non stetit à partibus illorum, qui lingua-
rum contemnunt cultores, ne quæ ignorant ipsi, in aliis
cogantur admirari. Nec erubuit in simili labore meâ
qualreunq; opellâ uti, cum ante hos quinq; quasi annos in
posteriorem Petri Epistolam commentarium scriberet,
atque in libris meis versionem illius Syriacam deprehen-
deret, annò millesimo sexcentesimo trigésimò demum,
à doctissimo Anglo Edvardo Poccocke editam, atq; in
Testamento Syriaco hæctenus desideratam. Quin imò
optavit aliquoties, ut Rabbinorum commentarij in lin-
guam Latinam translati, cum venerabilium literarum stu-
diosis

in Epist. De-
dicator.
Rhetoricæ
Sacrae.

diolis communicarentur, qui, pe multa in illis occurrere bona notatuq; digna, quæ minimè liceat zelò præpostero traducere aut rejicere prorsus. Quò nomine mihi legendos & evolvendos dedit utilissimos Pauli Fagij, Munsteri, Drusij, aliorumq; libros, quos etiam Jenæ à me lectos esse & quidem bono meo fato diffiteri non possum. Sed non excurrendum mihi hîc est in communem locum. Ad nostrum ergo non jam Doctorem, sed adhuc Theologiæ studiosum indefessum revertamur.

Non laborabat ille Jenæ in cassum, aut queri poterat spes suas cadere præter vota, quin potius justa militiæ suæ præmia referebat, cùm eodem anno millesimo sexcentesimo secundo d. II. Augusti iis solenniter honoribus ornaretur, supra quos nullos Philosophia agnoscit, inter XII. competitores primò loco numeratus. Ex eo Gerhardus, Gerhardus esse demum verè incipiebat, & virtute suâ Gratiisque congenitis non commilitonum solum omnium, sed & Præceptorum oculos & animos in se convertebat. Statim tertio ab actu promotionis mense & Collegium Disputatorium Politicum & Lectorium Metaphysicum, novo in Salana Academia exemplo privatim, ut & Theologicum disputatorium permissu Superiorum sui exercendi gratiâ instituit. Neq; enim illorum augere numerum volebat Noster, qui Philosophiam opus carnis vocant, & veluti tenebris damnatæ nocturæ Solem hunc ferre non possunt. Qui scientiæ sicarij eâ importunitate in bonas literas debacchantur hodiè, ut pessimo omnis eruditionis fato commendari Philosophiam necesse sit, quam absq; illis si foret, sua ipsius sublimitas supra omnem posuerat laudem. Quid enim per Deum immortalem? An ergo supra vulgus sapere & compositis studere moribus in vitio est,

est, eiq; dica scribitur, qui hanc sui tractandi rationem tenet? Hoc enim Diva illa, publici odij victima, docet tantum & docuit semper. Nostro profecto longe alia mens fuit, qui cum sciret probè, summum Philosophiæ in Theologia usum esse, illius studium excoluit serio atq; professus est. Meminerat à Basilio adolescentes, Christianis moribus imbuendos, & Licentium ab Augustino ad hæc quoq; studia vocari, nec pœnituisse unquam Hieronymum ad amata captivæ, quin potius Cyprianum summis offerri laudibus, ob templum Domini Aegyptiis spoliis locupletatum. Cæterum quanquam tum Noster Jenæ velut Phosphorus aut stella matutina in ipsa famæ suæ, ut ita dicam, aurora, Muls gratissima, ingenij ac doctrinæ radios plus satis exerere poterat, in admirationem positus Academicæ pubis, & sincerè à Professoribus amatus, amore tamen maximorum Theologorum Mentzeri & Winckelmanni excitatus, cum discipulo suo Michaele Rauchbaro anno millesimo sexcentesimo quarto Marburgum concessit, ut quorum legerat cedro dignissima scripta, illorum vivâ voce informaretur. Quod & ipsi contigit ex voto. Valedixit enim ad tempus dulcissimæ Jenæ, ita tamen, ut cum celeberrimam Academiam relinqueret, secum aliquam circumferret, ipse hoc totum sibi, quod doceri potest. In convictum itaq; eminentissimi Theologi Mentzeri receptus, stabili animi tenore præter privata in discipuli gratiam lectoria pariter atq; disputatoria instituta collegia atq; aperta, indefesso conatu sapientiæ cælestis studia tractavit. Publicis atq; privatis lectionibus Mentzeri, Winckelmanni & Schollij Ebræi interesse, ac quæ proponebantur assiduâ versare manu, & in sanguinem verrere atq; succum, unicè ipsi curæ erat atq; cordi. Modestissimi mo-

res, ingenij & memoriae felicitas, eloquentiae non affectata
ta flumen, non fucata animi probitas, singulare praeterea
in disputando acumen, & caetera bona, ob qua senectutem
laudamus, omnibus doctis & bonis conciliabant Gerhardum.
Mentzerus imprimis praclarum hunc eruditionis
exacta candidatum magni faciebat & ad delicias amabat
usque, adeo ut eum sibi comitem itineris Francofurtum,
ad Moenum, Heidelbergam, Sturgardiam, Tubingam, Ar-
gentoratum, Spiram Wormatiamque versus facti jungeret,
dimissurus utique illum nunquam, nisi tumultus civium &
praesidiariorum militum importuna manus pectus tran-
quillitatis amantissimum Jenam redire coegisset. Liber
ergo a discipulo informando & suo redditus juri, mense
Septembri recognoscit antiquos suos amores, mensamque
revisit Stromerianam, nec contentus privatim contulisse
eum Piscatore, qui tum Juventutem erudiebat, ipse in
Collegiis Theologicis tam lectorijs quam disputatorijs
quis & quantus sit Scholasticae militiae demonstrat. In
Philosophorum etiam ordinem & collegium receptus, di-
sputationem de Verbo pro loco concessio, publico erudito-
rum examini subjicit d. XXI. Decembris, cujus ipse alibi
facit mentionem. Jamque certatim Theologi & Viri magni
beatissime defunctum Nostrum dignissimum judicabant,
eui Sparta aliqua praecelara offerretur, cum anno sequenti
millesimo sexcentesimo sexto, quo optimum & auro con-
tra non carum Meditationum sacrarum libellum, Gallice,
Anglice, Germanice atque Italice postea loqui doctum,
publicarat, ab Illustrissimo & Celsissimo Principe Dn. Jo-
hanne Casimiro, Saxoniae, Juliae, Cliviae Montiumque Du-
ce mense Junio ad *Επισκοπην* Heldtburgensem in Francon-
nia, & paulo post ad Professionem Theologiae in Gymna-

In Tractat.
de Inter-
pret. Script.
Tom. I. LL.
s. 137.

sio Coburgensi legitimè vocatus fuit. Quam functionem etiam Jenà relicta sine mora incepit obire, in voluntate clementissimi Principis humillimè acquiescens. Inde Jenam denuò missus, Munificentissimi Ducis Saxoniae manu sumtus erogante, summis in Theologia honoribus solenniter maectatus fuit die XIII. Novembris. Ex eo cum officio suo adeò fideliter fungeretur, ut non minùs Coburgense templum suavissimis homilijs, quàm Gymnasium eruditissimis dissertationibus resonaret, fieri non poterat, quin doctrinae excellentis famà hinc inde divagata latè, & se attollente magis magisque, certatim ad functiones Professorias in Academijs, generales integrarum Provinciarum Inspectiones, pastoratus in urbibus nitidis splendidisque, à Principibus, Comitibus, alijsq; Rebus publ. expeteretur. Sed Jenà debebatur tantus Ecclesiae Doctor, hac tamen conditione & lege, ut aliquot adhuc annos Indulgentissimo Principi suo impenderet atque serviret. Qui secum esse volebat Gerhardum; neque enim pati poterat, uti tam citò suavissima & utilissima consuetudine viri privaretur. Hinc cum eo annò millesimo sexcentesimo nonò Dresdam, anno sequenti Coloniam ad Rhenum, an. M DC XIV. denuò Dresdam profectus, ita suam Domino clementissimo probavit fidem & industriam, ut dignus haberetur, cui an. M DC XV. generalis Ducatus Coburgensis Episcopatus committeretur. Verum enim vero victus tandem & expugnatus munificentissimus paritèr literarumq; amantissimus Princeps Jenensium Profess. precibus, an. M DC XVI. clementissimè suum dimisit Doctorem atq; in vocationem ad Professionem sacrarum literarum consensit, Ecclesiastici tamen consiliarij munere, Salario annuo eoq; amplo constituto, ipsi benignè oblato. Quamvis autem ingen-

ingenti nunc mœrore oppleta sit celeberrima Academia-
rum, maximoque confusa luctu, quod tantus Theologus,
penes quem signa & aquilæ nostræ steterunt hactenus,
qui que vel solus prolapsas literarum res sustinere poterat
gloriosi nominis famâ, in fata concessit; hæc tamen conso-
latione se eriget rursus, quod ultra XX. annos tanto Doctore
gravata fuit, quantum post Latherum non habuit refor-
matus orbis, nec animum unquam poterit deslere, quin
gaudeat simul se talem tamdiu in suo sinu fovisse. Ite me-
cum, Auditores, per universæ Germaniæ scholas, & num-
una illarum similem Gerhardi jactare poterit Doctorem,
bonâ fide, si potestis, narrate. Certè omnes hac in parte
Jenensi Academiae vela sponte contraxerunt submiterunt-
que. Id quod tot omnium vota comprobant manifestò.
Ex quo enim in illa Theologorum cathedram aggressus est
animare, quam plurimi singulis annis de eo ad te vocando
consultarunt, animumque ejus expiscari sunt atque tenta-
runt subinde, literis etiam vocatorijs transmisit. Quas om-
nes à Nostro in certum quoddam volumen collectas &
compactas esse memini. Borussi nihil magis habuerunt in
votis, quam ut Poinetzaniensis Episcopatus in se susciperet
curam, Praga, Lipsia, Wittenberga, Argentoratum,
Marpurgum, Rostochium, Helmestadium & aliæ nomi-
natissimæ urbes non semel, sed aliquoties presentem ope-
ram ejus vehementer expetiverunt. Ut jam taceam, de
Ἰωνοπόλῃ Vinariensi generali cum eo tractum fuisse. Ve-
rum tot veluti rivalibus magni Gerhardi informationem
ambientibus, sola Jena suis votis potita est. Cujus res ut
modis omnibus ille juvaret amplificaretque, nullis vigilijs,
curis, laboribus precibus atque itineribus pepercit unquam.
Non sectabor hic verborum profluvium. Unicum tantum

ex quam plurimis attingam, idq; certissimum paterni prorsus
jus amoris in decantatissimam Salanam documentum.
Quod illa jure possidet hæreditariò Baronatum Rheimden-
sem nec non nobile prædium Apoldense cum omnibus pa-
gis, redditibus & fructibus, unius Gerhardi debetur pruden-
tiæ atque virtuti. Nam cum summa ejus in Illustriss. Saxo-
niæ Pprincipum, utriusque lineæ gratia esset, nihil illi po-
tuerunt denegare, ideoq; non solum Serenissimi & nun-
quam laudati satis Principes prædijs istis & latifundijs cele-
bre Lyceum donarunt, sed & illustrissimus Saxo- Cobur-
gensis Dux Johannes Casimirus ad Nostri preces, & Reve-
rendissima simul illustrissimaque Saxonix Ducissa, Doro-
thea Sophia, Abbatissa Quedlinburgensis legatos miserunt
augendo dotationis honori.

Jam quid de meritis Ejus non in Jenensem Scholam
solum sed in universam Christi Ecclesiam, atq; de divinis
& verè Apostolicis virtutibus dignè exponam? Inopem-
me verborum facit infiniti argumenti copia, nec terram
vel litus mihi aspicere integrum est in pelago tam pro-
fundo. Tot librorum copias Noster produxit in apertum
famæ campum, quot nemo vel sine stupore numerare sal-
tem, nedum sine maximo & Herculeo prorsus labore de-
scribere potest. Magna aliàs ineptiendi libido quamplu-
rimos occupavit, qui in eruditis censerent ac in publica
eharta legi cupiunt. Scribendi cacoethes & gangræna in-
dies serpit per omnes eruditionis partes, nec unquam tot
fungos una producit pluvia, quot nunc una dies libros,
cum jam vulgi dementia sit & omnium morbus, quæ jam
ante sæcula aliquot paucorum virtus fuit. Tot Syntagmata,
Systemata, Synopses atq; Compendia, tot margaritas me-
dullas & hortos Theologicos vidit hæctenus literatus or-
bis,

bis, ut nimiam jam mole labore. Qui semel vel bis in anno
nomen suum ad nundinas non mittit, doctrinam & eru-
ditionem suam jam angustam nimis & in ordinem co-
actam putat, ideoque potius quam nihil scribar, ineptam &
jejunam sapientiam miseram & insontem vexat chartam. Hinc
tot inusitati, tot illustres & speciosi tituli scriptorum vesti-
bulo prætexitur, quibus præstigia sunt lectori. At ve-
rò Gerhardi nostri opera omnia longam ferent ætatem,
victuramque spiritum trahent. Vivent cum Sole & Luna,
& à grata evolventur posteritate, quamdiu hic rerum
omnium contextus stabit. Unica illorum oblivio erit hu-
mani generis occasus. Majestas rerum Theologicarum,
de quibus Noster scripsit, usque quotidianus, tum aperta
& subtilis disputandi ratio, non affectibus transversa, non
convitiis atrox, nec ullo mentis æcerbæ vestigio insignis,
inimitabilis præterea stili tersi atque Latini facilitas, & in-
culcata autoris, quæ doctrinæ semper respondit vita, ita
commendabunt sanctissimos hos labores, ut nullibi eis
inclementer dici possit, nisi ubi virtus in vinculis & veri-
tas in exilio est. Novem Locorum Theologicorum To-
mi Ministerij Sacri Candidatis selectissimæ Bibliothecæ
instar erunt, & Evangelica illa Venus, hoc est harmonia,
cui à Magno Chemnicio pingi captæ, & à gravissimo Ly-
fero continuatæ ingeniosissimus Apelles noster feliciter
ultimam admovit manum, ab omnibus piè atque eruditè
doctis in summo precio habebitur semper. Meditationum
verò libellum ipsi Religionis nostræ hostes elogiis & lau-
dibus extollunt. Tanta scilicet veritatis vis est, ut etiam
clausos oculos feriat, & vel ex invitis pectoribus prorumpat.
Divinam pietatis Scholam, suavissimasque ex Salomoni-
nis præstantissimo Cantico ad populum habitas, & typis
pariter

pariter excusas conciones qui non gratò animo legit, seu
su communi caret, salutis suæ securus omnino. Studij
Theologici Methodum, Phosphorum simul Disputatio-
numque & homiliarum tomos omnis posteritas assiduâ
teret manu. Et ut de alijs ejusdem hinc inde vulgatis o-
puseulis nihil amplius addam, soli Catholicæ confessionis
libri merentur, ut aternitas autorem adoptet, perennisque
fama insensat immortalitatis actis. Enimverò tantò la-
bore Tomos istos adornavit, ut inde velut alter Origenes
Doctoris Adamantini nomen sibi vindicare possit. Ipse,
qui lucubrationum harum conscientiam habeo, aliquo-
ties mihi fingo presentiam mei quondam fidelissimi Præ-
ceptoris, & attentiore repero mente, quot inconnis, ut
antiqui loquebantur, vigilijs, quantisque difficultatibus
ipsi constiterit arduum & lentum hoc opus. A summo
mane usque ad vesperam sedebat maximus Doctorum,
& quicquid ex Romanensium scriptis & Jesuitarum com-
mentarijs quos omnes pene habebat, suæ ipsorū fidei confu-
tandæ colligi poterat, summâ in libros istos retulit fide. Itē
nunc Pontificij & illam tantoperè in Numinis sensu unita-
tem, à vobis deprædicatam toties, amplius jactate. Detrahit
dogmatibus vestris larvam in solidum Gerhardus, preci-
puosque Doctores vestros inter se invicem commisit felici-
ssimè, in mutuam laniam cum jucundo Ecclesiæ spe-
ctaculo bonorumque omnium applausu sponte ruentes.
Nunquam eluctabimini ex hoc propriarum hypothesium
sibi que pessimè constantium pelago, sed ut canis, quò lo-
rum fugit vehementius, eò arctius collum astringit: sic vos
laqueis superinjectis expedituri ipsimet novos semper vo-
bis parietis labores.

Verumenimverò ut ut omni, meâ imprimis laude
major

majora sint Gerhardi in literarum publicam rem merita, invidiam tamen omnem declinare non potuit. Jenæ quidem adversarios autosores quod apparuerit, habuit nullos. Quis enim tam amabile odisse potuisset ingenium? Alibi tamen ejus virtutes extenuarunt, qui de suis nullam gloriandi causam habuerunt, & quem non poterant imitari, ejus famam ignobili invidia imminuere sunt conati. Rhapsodias ejus esse Tomos pronunciarunt audacter, & sine judicio illos compositos esse persuadere alijs sustinuerunt. Quod iniquum & præposterum judicium genio certorum locorum dandum est, in quibus multos æmulationis impotentia dulcisq; persuasio sapientiæ singularis eò adducit, ut audeant suggillare, quib⁹ similia proderet literis minimè sperant. Scilicet illi in sole etiam maculas vident, soli que perspicaces sunt instar aquilæ aut serpentis. Epidaurij; aliorum verò oculos Saturninæ lemæ vitiarunt. Tales sanè Gerhardus viros, qui ex obrectatione aliorum ad quandam nominis famam grassari volunt, infra iram suam duxit semper, & magnâ animi securitate contempsit. Nimirum nobilia & excelsa ingenia ut livorem insuper habent, ita nesciunt invidere. Et si ullum, certè hoc vitium servile est atque plebejum. Semper alienæ laudi iniquus est, qui de sua desperat, sicut contra minimas etiam virtutes in alijs mirantur, quotquot majoribus pectus instructum habent. Bacchentur ergò in Nostri labores morosi quidam Aristarchi rerumque severi censores, quibus mæstum ingenium supervacuâ diligentia exercere voluptas est, in peregrinis ego & longinquis terris summos agere viros scio qui Gerhardi scripta exosculantur. Eum certè non semel in Rationali suo Theologico laudat Nicolaus Vedelius. Et quid Andreas Rivetus de maximi viri diligentia atque do-

trina sentiat, ijs ignotum esse non potest, qui doctissimi illius Galli scripta exolvunt. De Vosio autem, insigni illi literarum statore hoc testari possum, Auditores, ipsum ante quadriennium à me Amstelrodami salutatum, solenniter inter alia protestatum fuisse, se Gerhardū amare maximè, ejusq; scripta à capite ad calcem pellegisse. Quod in presens confutandæ calumniarum lingvæ afferre non in consultum visum nobis est, quæ dubio procul beatissimè Nostri defuncti manibus idè obtreçabit impudentius, quia vivum hactenus debellare potuit nunquam.

Porro cum tam stupenda & pertinaci prorsus diligentia monstrum erat tot alia negotia concatenata convenisse. Præterquam enim quod Decanatus & Promotoris sua in Facultate munus sæpius obiit cum dignitate, Rectoratus Acad. fauces non sine æterna nominis sui gloria quater gessit. Tum autem à Serenissimis Saxonæ Principibus, Academia Jenensis Curatoribus benignissimis non solum, sed & à Potentissimo Saxonæ Electore, Domino nostro clementissimo &c. nec non Hassiæ Landgravio Darmstatiensis lineæ, non semel gravissimas ad deliberationes fuit evocatus. Tot insuper literas unà scripsit die quot alius per integrum mensem vix exarare solet. Quondie enim vel Illustrissimi Principes atq; Duces, vel gravissimi Doctores non ex Academiis Germaniæ solum, sed & Succiæ Daniæq; regno aliquid ex Nostro, velut oraculo quodam, quæsierunt, quibus omnibus non vicariò famuli alicujus calamo, sed proprià manu promptissimaq; respondit mente. Memini, Auditores, ipsam aliquando instituisse numerare epistolas, quas scriberet indies ad Principes, Fautores atq; amicos, sed cum novus hic computationis labor ordinarias operas augetet conduplicaretq; destitit à proposito,

posito, referens interea consalinis vix tres esse septimana
elapsas & se plusquam centies in literis scribendis occupa-
tum fuisse. Atq; ut propius ad consuetudinem Ejus pri-
vatam virtutesque domesticas veniam, quemadmodum
publicè literatum orbem sibi maximis meritis obstrinxit
ita non de Collegis & amicis suis in Academia tantum, sed
& de tota in universum civitate benè mereri studuit sem-
per. Fratrem Andream, J. U. Doctorem celeberrimum
& consiliarium Saxonicum sincerò amore complexus fuit,
ejusque filium Johannem Andream Commenalem atque
Amicum meum quondam dilectissimum *vūv cu tōis aīoīs*
liberalibus artibus imbui sedulò curavit. Uxores omni-
nò duas habuit. Primum conjugium annò millesimo sex-
centesimo nono ad d. XIX. Novembris iniit Vinariæ cum
virgine tum lectissima & insigni castitatis laude celebrata
Barbara, Dn. Johannis Georgi Neumeyeri, ex matrona lau-
datissima Elisabetha Schröteriana, quæ jam in Excellentissi-
mi Theologi D. D. Johannis Majoris, Ecclesiæ Jenensis Pa-
storis ac Superattendentis benè meritisimi matrimonio
vivit, relicta filia, quæ natum ipsi peperit unicum Johan-
nem Georgium d. XXIV. Decembris anni millesimi sex-
centesimi decimi, subsequenti anno mensis Januarij die
decimo extinctum, quò eodem anno, Gerharðo nostro
ferali nimis & luctuosò d. XXX. Maji filioli fata secuta
mater maritum viduum reliquit. Hinc in alterius com-
plexu viduitati finem impositurus transiit ad secunda vo-
ta, nuptiasque celebravit anno millesimo sexcentesimo de-
cimo quarto Calendis Martij in arce Heldtburgensi cum
virgine tum florentissima, nunc vidua calamitosa, Maria,
Viri Experientissimi quondam, Amplissimi, Prudentissi-
miq; Dn. Johannis Mattenbergeri Medicina Doctoris &

Reipubl. Gothanae Consulis filia, quæ denos quidem ipsi
liberos hoc fato tamen edidit, ut quinque relinqueret excedens,
elatis reliquis jam dudum atque compositis. Utrumque
matrimonium concordissimum fuit, liberis quoque & rei
familiaris auctione beatum. Ac posteriori conjugii suæ
uti diutius tanquam exoptatissimæ sociæ vitæ, ita ex veteri
formula beatissimè convixit, hæc animi moderatione suum
testatus illi amorem, ut meminerit etiam se maritum familiaeque
caput esse. Neque enim permisit, ut dum sacrosanctis studiis
vacaret totus, interea imperium invaderet mulier, animal
amabile quidem & blandum, sed tamen viro in ministerium
datum atque concussum. Sapiusculè irrisit bonâ fide illorum
dementia, qui uxores suas vel ob elegantiam formæ, vel ob
compositos & venustos mores vel alias etiam ob causas
amant tam impotenter, ut sui obliviscantur interea juris,
ad omnes conjugii nutus anxij atque solliciti, ejusque
veluti sumtuosi alicujus idoli reverentes, mancipia
potius fœmininæ libidinis quam moderatores infirmioris
sexus. Liberos optimæ indolis maximæque spei in timore
Dei, & vera ejus agnitione educavit cum cura, nec quicquam
neglexit eorum, quæ huc facere aliquid & conferre possent.
Faxit Deus ter optimus Max, ut majorum atque parentum
suorum vestigia premant, eorumdemque decus egregijs factis
tueantur.

Ulterius sunt ex eruditissimis multi tristiores à Natura ingenio,
& facti quidem ad honestatem, sed cum amaritudine quadam
& reticite, quibus per acerbos mores, genijque immanitatem
non licet ullos amare lepores atque venustatem; At verò
Noster dulcissimæ consuetudinis & inusitatae humanitatis
plenissimus vir fuit, in quo nulla severitatis rusticam
liberalem & ingenuam arctaverat frontem.

tem. Quoties cum familiaribus inter sinceros sapientissi-
mè risit? Quoties quæ in vita fuisset expertus, sermoni-
bus lepidissimis exposuit suis? Quoties commentales
& ad unum omnes qui in ædibus & contubernio ejus
vixerunt, admirati sunt in tanto viro tantis negotiis invo-
luto, gratiosam illam divinæ indolis festivitatem? Flue-
bant ex ejus ore aurei subinde lepores, & tot insontium,
Jocorum in centuriæ narrationesque festiva, in quibus ta-
men nihil ludicrum, nihil lascivum animadvertere erat.
Scilicet liberalitèr eruditeq; jocosus candidò semper Mer-
curij, nunquam nigro Momi sale jucundos suos consper-
gebat sermones. Ad hæc insignis animi demissio ipsam
apud Principes viros in gratia & in fama apud omnes po-
nebant. Enimverò quanquam non dedecet pulchras
animas atq; cælestes agnoscere precia suarum dignitatum,
nec castuosa idè aut superbæ perhiberi possunt, si cum ce-
to morum temperamento non abjiciunt conscientiam,
excellentiæ suæ; quò tamen major ubivis locorum honor,
& quidem jure merito deferebatur Nostro, èd submissiore
animo erat semper. In neminem certè unquam superbius
aliquid consultuit, quin potius optima quæque de unoquo-
que sensit & locutus est, in vilissimis etiam mortalibus hu-
manitatis communionem veneratus, nec ulli magis
quàm sibi ipsimet iratus fuit, cum in diverticula quædam
quasi deflexisse videretur nonnihil à via. Jam quibus ver-
bis viri candorem & fidem extollam, quæ hodiè in virtuti-
bus vix tenent locum? Non ignorabat sanctissimus Theo-
logorum multos hac tempestate vitiosa simulationis larvâ
etiam prudentibus imponere viris, aliud claudere in men-
te, aliud verò promere linguâ, magisque vultum adeò
quàm ingenium bonum habere. Vixerat enim in aula,
in qua

In qua dissimulare posse veritatem atque animi impetus
frangere, nec illum explicare in fronte peculiaris sapientiæ
opinionem habet. Sed Noster omnem fucum dolumque
ab ingenio proscriperat suo, ratus, cum simulandi illa arte
non secus atque cum Sophistarum captionibus & strophisque
comparatum esse, quas Logicæ Magistri tironibus suis tra-
dunt noscendas, non ut utantur iisdem, hæc enim res in-
febriculosam putiditatem solet exire, sed si tententur ijs, ut
declinare meminerint illas. Neque etiam manuscripta sua
aut quos inexhausta industria conscriperat collegeratque
communes ut vocant Locos, ijs invidit, quos vel in men-
sam aedesque admisit, vel in ipsum quoque museum recepit,
sed illorum copiam etiam non rogantibus fecit sponte, e-
doctus atque persuasus, hoc ingenio bonas res esse, ut gau-
deant cum alijs communicari, nec immerito veteres di-
xisse, apertas esse Musarum januas in ò & invidia expertos.
Latent adhuc & intra Vestæ penetralia servantur Patrologia
inchoata sed absoluta nondum, Commentarij in Genesim,
Exodum atque Beati Petri Epistolas & si quæ alia sunt adver-
saria, quæ ut vivens nulli denegavit unquam: Sic ea nunc
defuncti hæredes suo proculdubio tempore typis exscribi
procurabunt. Acerbissimum præterea avaritiæ odium,
professus ubique, in pauperes atque egenos mirè beneficus
fuit & liberalis, certus, eos Dei clientes esse, qui acceptum
refert, quod in istos confertur. Non ad multorum exem-
plum ex scriptis suis quamplurimis quantum fecit, multò
minus emunxit miseros Typographos vel coegit etiam, ut
precio tristi redimerent illa. Minimè gentium. Illi be-
rales illos & sordidissimos viros toto pectore detestabatur
semper, qui tam foedæ se emancipant utilitati, & omni
honestate insuper habitâ, eò tantum ruunt, quo lucrum
turpe

turpe vexillum explicat. Quinimò quâ publicè quâ pri-
vatim in infelicissimos illos Mammonæ servos inveheba-
tur, qui bonas artes ac literas cauponantur, qui Theolo-
giam velut artificium venale addiscunt, & ambitiosè la-
crimas & conciones vendunt quas sola pietas commen-
dare debebat. Sic enim non solùm virorum alias doctri-
nâ præstantium famam obscurari quàm maximè, sed & to-
tum venerandum sacerdotium infamari atque jam satis
filiis hujus seculi exosum, illorum impietati & ludibriis
magis deridendum proponi, non secus ac si insana illa
auri argentiq̃e fames, Clericorum, atque sacerdotum
hæreditarius & inexpugnabilis morbus esset, adeoq̃; quod
Logicæ Magistri dicunt, proprium in quarto modo &
inseparabile prorsus. Quanquam vilissimam hanc inge-
niorum nationem non tam verbis, quàm ipsis factis ca-
stigavit refutavitq̃; dum quamplurimos ope, manu atque
consilio juvit, quos hæc temporum diritas suis evolve-
rat fortunis. Nec tamen interea ipse æris egere neces-
sum habuit, quin potius per Dei gratiam & benedictio-
nem, Principumq̃e munificentiam, Discipulorum præ-
terea gratitudinem & sat amplam Conjugum dotem di-
tatus satis atque locupletatus fuit. Quanquam fundos
& res quæ terram sapiunt omnes in universum, tanquam
non haberet, possidere didicerat, veris illis alterius vi-
tæ bonis intentus, quò nobilissimarum mentium desi-
derium aspirat. Quò compendiosius etiam dolere po-
terat, cùm superiori anno facultatibus suis penè omni-
bus exueretur. Prælegam Vobis verba ex literis Ejus
d. XXII. Nov. elapsi anni ad me datis excerpta, quæ sic
habent; Pestis malum nondum apud nos defavuit. Cah-
r in exilio voluntario per novem septimanas vixi, ante"

E

octi-

ostiduum huc reversus propter Suecici militis insolentiam.
Ex pradiolo meo non solum equos & pecora omnia abe-
gerunt sed etiam aedificijs ignem subjecerunt, ac praeter re-
liqua etiam duo horrea mea frugibus nondum excussis
repleta in cineres & favillas redegerunt. Deus det incen-
diariis illis penitentiam, mihi vero patientiam. Hac vir
summus. O votum verè Apostolicum! O consolatio-
nem absoluti exempli Theologo dignam! Nempe inju-
rias negligere recta ratio suadet, sed beneficio superare,
ijsque, qui vobis inferunt mala, precari benè, Christia-
nae religionis sanctiores regulae jubent. Et ne vel tan-
tillum de *αὐτοπραξία* Nostri dubitetis, Auditores, acci-
pite singulare summae ejus in Deum fiduciae exemplum,
cujus jure merito nuper Dillherrus noster, cum justa illi
perfoveret, mentionem fecit. Quatuor nondum exacti
menses sunt cum à Principe gloriosissimi nominis magna
illi offerretur pecuniarum vis, levandae credo quanti hacten-
us Noster fecerat jacturae. Sed illam generosò fastidio
accipere recusavit, nec ut admitteret, precibus ullis potu-
it exorari, Deo suo confusus unice, qui & bona com-
modat nobis & eripit quando vult. Temperantiae de-
nique & sobrietatis tam studiosus fuit piè defunctus No-
ster, quam qui maximè. Pro epulis habebat vicisse &
expugnasse famem, in eo acquiescens, quod paucis con-
tenta Natura propinat atque ministrat. Non epulae
molles, non delicatus pariter atq; ingeniosus ciborum
apparatus, aut pocula vino rorantia obambulantisque
cululli corrumpere poterant ipsum, aut illi interciperè in-
genij vim, particulam illam divinae aerae. Quod si o-
mninò honestatis causâ convivij subducere se non po-
terat, ad inducendam saltem in fontem animi hilarita-

tem

tem bibebat, quod nec Deus in verbo suo prohibuit ul-
libi, de cætero Noster crapulæ & ebrietatis infensissimus
hostis fuit. Et ut paucis multa dicam: Fuit Gerhardus
ementatissimum speculum in quod intueantur Theologi
in universum omnes. Neque etiam unquam servile
aut abjectum quicquam cogitare aut admittere poterat,
qui non ignoravit, de se semper loquendum. Finem
itaque laudandi faciam, non quod sit laudum ejus ali-
quis finis, sed quod orationis meæ.

Tantus igitur Vir, perpetuâ rerum divinarum illu-
strumque meditatione supra vulgus evectus, jamque du-
dum communibus ambitionis vinculis exceptus, decli-
nare aut effugere non potuit omnipotentes manus sævæ
illius atque crudelis Deæ, quam mortem vocant, aut ut
convenientius Christianorum sermone loquar, sicut ex-
parentibus mortalibus genitus erat: ita & abitu ultimò ad
patres suos collectus fuit ille, qui ob pietatem Apostoli-
cam & eruditionem adorandam dignissimus videbatur
immortalitate. Et verò eam si vitâ consequi non potuit,
at libris eruditissimis & utilissimis longè impetrabit, in qui-
bus adhuc pariter atque in sobole relicta vivit & diurnat.
Die duodecimo mensis Augusti (quid te subtrahis? quid
tergiversaris oratio? quasi ultimam ejus necessitatem de-
precari aut vitam producere queas sic exhorrescis ad ulti-
mam orationis venire metam) Die inquam duodecimo
mensis Augusti, incescit ipsum febris ardens, quæ ita sæ-
vire incepit in viscera & quicquid vitalis alimonix vege-
tabat corpus, ut vires statim circumcisæ nimis prostra-
tæque diem supremum ante ipsum, ut in acuto mor-
bo nunciarent. Qui tamen ingruens jam imminens-
que adversus generosum ejus animum adeò valebat ni-

nil, ut is interea crescere veluti & subinde major appareret ac major. Et domui quidem suæ plusculos jam antea prospexerat menses. Quare cum frustra imploratam Medicorum opem & industriam videret, ad preces conversus salvatori optimo, cujus imaginem ubivis locorum secum circumtulera, se permisit totum, die quoque XV. Augusti mysteria tremenda participavit, humillimè suos errores verbi Ministro confessus. Deinde cum Theologis, collegis suis de bono publico promovendo disseruit prolixè, cum primis ad concordiam, quæ inter illos viguisset sincerè semper nullis simultatibus interrupta atq; interpolata, post mortem, quam instare præsigneret, suam, sanctè servandam eos adhortatus est graviter, secutus hac in parte Magistri nostri Maximi exemplum, qui ad Patrem abitum paraturus, unitatem Spiritus discipulis suis seriò commendavit, quippe cujus unius testifera & symbolo à cæteris mortalibus discerni possent. Ex eo flagrantissimas ad Deum perpetuò effudit preces, atque adeò die XVII. Augusti præsentibus plurimum Reverendis & Excellentissimis Viris Dn. D. Johanne Majore Superattendente, Dn. D. Himmelio, nec non Ecclesiæ Archidiacono Dn. M. Adriano Beiero, convictoribusque plerisque sub tertiam pomeridianam integris sensibus animam suam Deo creatori tradidit, inque his ultimis Scripturæ paritèr atque linguæ suæ verbis, Veni, Veni, Domine veni Amen, defecit, gravissimò morbo & ipsa vità etiam absolutus atque in caelestium Spirituum consortium receptus.

O Pater, Pater, Currus Israel & auriga ejus! O beatissime Doctor siccine abis; tuosque in hoc orbe tristi & ærumnoso relinquis! Tu qui aeternum vivere dignus eras, nobis

nobis heu præproperâ morte es abreptus! ô nos infelices! Nulla nos juvat nenia, nec certò precio redempta lingua. Major es lacrimis & querelis, atque ut hæcenus in terris annos vixisti benè multos cum æterna nominis Tui laudè; sic beatè nunc defunctus summorum particeps factus es in cœlis bonorum. O miseros nos & calamitosos! qui tot impliciti malorum quasi catenis, & in fidiculis adhuc tormentisque Naturæ positi, non amplius videbimus Te, nisi et ipsi per ea, quæ jam felicissimè confecisti spatia, eamus, atque Tecum simul ipsaque jungamur æternitate. Interea salve sanctissima anima, quæ soluta parte imbecilliore tui, de livore, fortuna, & ipsâ postremo morte triumphasti, atque te melius longè per virtutes & famam quam per exeuntem de busto aquilam æternitati consecrasti, jamque in pristinam dignitatem vindicata tuam spatia immensa cœli pervagaris, illisque ineffabilibus abundas gaudijs, quæ sine ullius turbinis aut nubili mistione æterna libertati transcriptos circumsonant undique ac circumfundunt. Non urbs malè æterna, gentium quidem Dominâ, sed libidinum ancilla Roma, verum ipsum Te cœlum conspicit, fovet, miratur, Tuæque felicitati, ex omni parte absolutæ consummataque favet & applaudit. Nec à summo Designatore præmij vicem coronam recipis ex floribus textam, quorum decor cum sole oritur atque occumbit, sed stolam illam candidam immaculati agni sanguine respersam. Quam mortalium nulli induere datum est, nisi qui fide invictâ Deo probatus in Hierosolymiam supremam recipiatur. Salve Theologorum Princeps, salve victor invidiæ domitorque hæreticorum! Salve incomparabilis Heros! & ultimum hoc quod Tibi dicimus

ius vale, accipe, atque in observantiâ debita Tibi argumentum trahere / Fruere aspectu Trinitatis adoranda, effunde Te, Salvatoris Tui plenus, in suavissimos ejus amplexus, ijsque delicijs inebriare, quibus beata mentes in altera vita affluunt. Exulta venerande Pater, Tuoque Deo lætum accine carmen, Luthero, Bugenhagio, Hunnio, Rungio, Mylio, Gesnero, Tuisque Mentzero, Winckelmanno, Frantzio, Balduino atque Meisnero immixtus. Vale felicissime Gerharde, & si quid nostræ preces possunt, Deum roga, ut Tui similem afflictissimæ Ecclesiæ excitet Doctorem, qui prolapsas res ejus erigat suffulciatq; , sacrôq; veluti accensus furore in omnis nominis hæreticos impetum faciat eorundemque frangat vires. Commendet Tibi desideria nostra ipsa votorum modestia. Neque enim ut Agamemnon apud Homerum decem Nestores optat, ita nos decem expectamus Gerhardos. Uno, unô contenti erimus, ô Pater, parati semper Te sequi, quandocumque nos statione hæc excedere jusserit arbiter vitæ. Vale, vale ad ultimum Vir summe, Tuoque reddite cælo, Johannes Gerharde!

D I X I

IN

IN EUNDEM
EPIGRAMMA
Ejusdem.

*SI iustas modè laudes Tibi, Magne GERHARDE,
Saxonie quondam nobile depositum,
Hei modò depositum! quod summus reppetis ether,
Icarus infelix fluctibus abripiar.
Quippè Tuae ingentes absorbent carmina laudes,
Et mea in hoc pelago naufraga cymba peris.
Excelsa spernunt à se mortalia mentes,
Nec fragilem querunt facta stupenda tubarum.
At quod id officium Tibi, Doctor maxime, praesto,
Et velut in luctus patris anhelus eo,
Hoc urget pietas, Tibi vivo ut jure dicata;
Sic nunc in Manes officiosa Taos.*

IN EPIGRAMMA

EPICRAMMA

F. O. S. O. N. I. A.

Stylus in hunc...
Hic modo...
Tunc in...
Græce...
Nec...
At...
Et...
Hic...
Et...



No 2890.

8

ULB Halle

3

005 131 677




Handschrift
Verzeichnis No

1517

MC.





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.



///. 3

IO
ematurum
GERHARDI,
incomparabilis, atq̄s
i Ecclesia benè meri-
toris,
citata
nia Wittenbergenfi
SCHNEIDERO,
ph. Adjuncto,
ERGE
ANNIS RÖHNERI,
D XXXVII.

